

In diversis Germaniae partibus alter atque aliter (proximis tamen se vocabulis) nominatur, *Orff*, *Erfle*, *Norfling*, *Wurfling*: alicubi etiam *Elfr*, idem ni fallor. (Apud Hollandoes Elfr est *Alosa*.) Intempestive captum, spinulis seu aristis redundare ajunt. Duorum *generum* hunc pisces esse audio, affatos alias carne alba esse, qui Augustae vulgo *Weißfisch* appellantur: alias rubicunda vel flavescente, *Truttae Salmonatae* instar. Pisces Norimbergae quoque in Begniza fluvio frequentem esse ajunt; praeserri genus illud, cuius caro rubeat: in superficie discrimen non apparere: *squammas* paulo latiores esse, quam in Thymallo: carnem siccari, et friabilem, salubrem, ut vel

puerperis concedatur, minus suavem quam Truttarum. Bellonius quoque visa apud me hujus pisces effigie, forma ad Squalum (id est Capitonem fluviatilem) eum accedere ferebat. Pisces audio lautum, et in pretio esse; muscis vesci. Cyprino minus lautum esse, sed crassiores: non in aquis fluentibus, nec in lacibus, sed in piscinis ferme reperi, apud Vindelicos, Norimbergae, et alibi. Sunt qui *Pigo Picone* pisces Larri et Verbani lacus eum comparent: et similiter certo anni tempore e squammis ceu clavos quosdam emittere mihi retulerint. Ad Cyprinos ne igitur magis an Capitones pertinet, judicandum illis relinqu, quibus in promptu hi pisces sunt.

## CAPVT VII.

## De Leucisco.

TAB. XXVI.  
10. II. 12.

*Aldrovand.*  
*de Piscibus*  
l. 5. c. 22.

*Galen. de*  
*Aliment. fa-*  
*cult. l. 3.*

*Bellon. de*  
*Aquatil.*  
lib. 2.

**L**eucisci nomine omne Mugilum genus Hicesio apud Athenaeum venire superius, ni fallor, diximus. Galenus sua specie pisces *fluviatilem et lacustrem* facit. Salvianus Squalum esse, ideo quod eum Galenus τὸν γεῦσιν ὀξυτέραν habere scribat (sed perperam, Legendum enim est, κεφαλὴν ἔχον μικρότερον καὶ ὀξυχοτέραν) credit; Modernis Graecis *Leucorinus* dicitur. Bellonius, *Albicellam* commode vocari posse scribit, apud alias nationes, Germanos in primis, varia fortitur nomina. In Germania, circa Argentinam *ein Lauf*, Helvetiis diminutiva voce *Laugele*, quo nomine Galenus dici conjiciebat (inquit Gesnerus) quasi λεύκιλλον, id est Albiculam, tanquam olim sic appellasset Graeci, et ab iis mutuati essent Germani. In quibusdam Helvetiorum lacubus, ut juxta Tugium et Bielam *Uvinger* vocitatur, ut a Sabaudis circa Neocomum *Vengeron*.

Diversus tamen ab his pisces est *Vangeton* in Lemano dictus, cui Helvetii a rubore pinnarum nomen posuerunt. *Brelenpes* etiam *Onhopt*,

id est, acephalos nominant hos pisces: amputatis enim capitibus, siccato, alio venales mittunt: cum minimi densis agminibus natant. Helvetiis *Seelen*, id est, animae dicuntur.

Acronii lacus accolae nominibus variant; *Grasig* Lindaniae vocant: *Vberlingae Laugele*; Constantiae dum parvi sunt, *Zienfische* vel *Grafsing*: adultiores, *Agonen*, *Agunen*, *Lagenen*. Ajunt enim piscesculos esse vix longiores palmo, *squammosos*, quibus multi abstineant, quod circa latrinas pascantur: suo tempore tamen commendari.

Aestate, inquiunt, innascuntur eis vermes, quos vulgus, *Nestel*, nominant, quo tempore insalubres habentur.

*Ovagerunt* usque ad Junium, deinde pariuit. Non solum autem inter se, sed cum illis etiam pisibus latis lacustribus, quos Helvetii *Rotten* vocant, et cum Scardulis sive Cyprinis latis coēunt, unde pisces genus enascitur, inter utrumque parentem medium, *ein Drittisch*.

Sed